

32

OBSERVAT. SIDERÆ

Quod tertio loco a nobis fuit observatum, est ipsiusmet *LACTEI Circuli* essentia, seu materies, quam Periscopilli beneficio a deo ad sensum licet intueri, ut & altercationes omnes, quæ per tot secula Philosophos excruciarunt, ab oculata certitudine dirimantur, nosque a verbosis disputationibus liberemur. Est n. *GALAXIA* nihil aliud, quam *innumerarum Stellarum coacervatim consitarum congeries*, in quamcunque n. regionem illius Periscopillum dirigas, statim Stellarum ingens frequentia se se in conspectum profert, quarum complures factis magnæ, ac valde conspicuæ videntur, sed exiguarum multitudo profus inexplorabilis est.

At cum non tantum in *GALAXIA* lacteus ille candor veluti albicantis nubis spectetur, sed complures cõsimilis coloris areolæ sparsim per æthera subfulgeant, si in illarum quamlibet Specillum conuertas, Stellarum constipatarum cõtũ offendes. Amplius (*quod magis miraberis*) Stella ab Astronomis singulis in hac usque die *NEBVLOSÆ* appellatæ. Stellarum mirum in modum confatarum greges sunt, ex quarum radiorum cõmixtione, dum unaquæque ob exilitatẽ, seu maximã a nobis remotionẽ, oculorum acie fugit, candor, ille cõsurgit, quæ dẽsior pars cœli, Stellarum aut Solis radios retorquere valens, hucusque creditus est. Nos ex illis nonnullas observavimus, & duarum Asterismos subnectere voluimus.

In primo habes *NEBVLOSAM Capitis Orionis* appellatam, in qua Stellam viginti unam numeravimus.

Secundus *NEBVLOSAM PRÆESEPE* nuncupatam continet, quæ non una tantum Stella est, sed congeries Stellarum plurium, quam quadraginta: nos præter Afellos 36. notavimus in hunc, qui sequitur, ordinem dispositas.



DeLu -